

Admodum Illustrissimo atque Excellentissimo Viro,

DOMINO

SILVESTRO COLLICOLÆ,

olim VRBANI VIII. P. O. M. MEDICO

à secretis, atque intimo Cubiculario. V. Cl.

M Paulus Zacchias Medicus F. V. O.

Hæc quæ de remediis Medicis scripsi, Tibi, qui tanta dexteritate, tantoque Urbis, & Orbis favore ea in usum convocas, inscripsi, atque hac occasione arrepta, velim plura de Te, tuaque virtute, ingenii perspicacia, Animi ingenuitate, morum suavitate, ac medendi solertia dicere, nisi timerem eos, qui me Tui amantissimum noverunt illud Platonis mihi objecturos, cæcutire nempe unumquemque in eo, quod amat. tamen si alia ex parte universum hominum consensus in mei tutelam insurgeret, qui ubi plura de Te dicerem, non cæcutire me, sed vera dicere affirmaret, & plura etiam superesse mihi dicenda, quam dicere possem. Sed loci angustia ulterius progredi me non patitur, & filere me etiam nolente cogit. Vale, & me indies, ut facis, magis magisque ama.

LIBRI

LIBRI OCTAVI
TITVLVS SECVNDVS,

De Remediis Medicis.

S V M M A R I V M.

- 1 Remedia Medica unde desumantur.
- 2 Remedia Diætetica ex quibus rebus desumantur.
- 3 Medici, & Egroti, & Assidentes quomodo interdum circa Remediorum usum delinquant.
- 4 Quæ Remedia consilium Medicis possint, quæ non, & primo de his, quæ esse possunt contra Animæ salutem.
- 5 De Remediis dubiis an temerari à Medicis possint.
- 6 Egroti an teneantur obedire Medico sub pena peccati; pars negativa. Contrarium. nu. 7. Vide nu. 13.
- 8 Egroti non admittens remedia naturalia remittens se in manus Dei mortaliter peccat. & vide nu. 19.
- 9 Egroti quando excusentur, si remedia à Medico proposita. (peccat.)
- 10 Ieiunans non debet saluti corporeæ præiudicans.
- 11 Infirmus tenetur ex charitate proprii corporis Medico obedire generaliter loquendo.
- 12 Quilibet tenetur custodire propriam salutem quantum potest. & maxime vis medicis, quæ ad id iudicantur necessaria.
- 14 Homo non est suæ vitæ dominus.
- 15 Infirmus non tenetur obedire Medico, quando remedia aspera, & maxime dolorosa sunt, aut cum summa displicentia admittuntur.
- 16 Certitudo salutis ex remediis non habetur, sed tantum probabiliter sperari potest.
- 17 Non potest infirmus resistere remediis Medicis ex eo, quod existimet expugnari posse morbum viribus Naturæ.
- 18 Infirmus non potest resistere medicamentum ex eo, quod maiorem exacerbationem ex remediis usurpatione timeat.
- 20 Infirmus non tenetur obedire Medico assensendo, vel admittendo medicamenta dubia, & periculosa, & utrum erret talia remedia admittendo nu. seq.
- 22 Non tenetur infirmus obedire Medico, ubi impeteret remedia extra communem medendi rationem, & multo minus si sint contra Animæ salutem, aut superstitionis. num. seq.

Quænam sint remedia Medica; & quænam Personæ circa eorum usum errare soleant. Infirmus autem, & in quibus casibus teneatur Medico obedire.

Q V E S T I O I.

Respiciunt Medica remedia tria Medica instrumenta, hoc est Diætam, Pharmaciâ, & Chirurgiam; unde ad Diætam pertinentia Diætetica vocantur, pertinentia ad Pharmaciâ Pharmaceutica, & ad Chirurgiam tandem spectantia Chirurgica. Quæ ad Diætam pertinent ea omnia

sunt, ex quorum usu tota victus ratio constituitur; hæc continet rectum usum earum rerum, quas Medici Nonnaturales vocant; ac sunt, nu. 6. nempe Aë, ambiens, cibus, & potus, motus, & quies, somnus, & vigilia, excreta, & retenta, & Animi passiones. hunc harum rerum rectum usum in Egrotis ad Medicum pertinet dirigere, ad Egrotantem autem in his Medico obtemperare, ad Assidentes autem Medici præcepta quantum in se ipsis est executioni demandare. Verum enimvero tam Medici, quam Egroti, & Assidentes frequentius circa hæc, quam circa cæterorum remediorum administrationem graviter delinquere solent vel negligentia, vel ignorantia, vel audacia, vel incontinentia, vel alia quavis ex causa. Nam Medici aliquando non præcipiunt quæ præcipienda sunt, aut præcipiunt non præcipienda, aut concedunt non concedenda, ut ipsis Egrotis gratificentur. Et multo magis in hoc interdum peccant ipsi Egrotantes Medico non obedientes, ejusque consilia, ac præcepta spernentes, ut perveris suis desideris satisfaciant, vel infirmitatis incommoda nolentes sustinere, & sic de cæteris. Nec minus in hoc ipso Assidentes delinquant, vel non mandantes in executionem ea, quæ Medicus imperaverit, vel porrigentes agrotis cibos, ac potus noxios, & importune, ipsis agrotis morem gerentes in his, quæ exposcunt, nihili facientes damnum, quod eorum salutem inde emergere potest, vel aliquando consulentes illis aliquid contra Artis dogmata.

Erratur quoque pari passu à singulis harum personarum in usu remediorum Pharmaceuticorum, nam quoad Medicum jam alias plura eorum, in quibus ille peccat, deteximus, ac deinceps detegemus; sic etiam & Egroti, & Assidentes circa usum eorundem remediorum delinquant; ut cum ipsi Egroti ob displicentiam, & horrorem, & abominationem eorum remediorum nolunt ea assumere, vel contra assumunt quædam non assumenda à Medico reprobata, & id genus alia. Eodemque modo circa remedia Chirurgica sæpe sæpius omnes, ac singulæ huiusmodi personæ delinquant, cum Medici aliquando nonnullas operationes Chirurgicas vel consulant, vel exercent, ex quibus vita patientis manifesto periculo exponitur, & ipsi Assidentes suasionibus suis aliquando ad eas egrotos exhortantur, & iidem ipsi Egrotantes vel reculant quæ reculare non debent, vel admittunt, quæ non debent admittere, in quibus omnibus cum possit aliquando intrare gravis, ac mortalis culpa, determinandum certe est, quando, & quibus remediis uti Medici possint, quibus vero non, quando item Assidentes, aut Egrotantes consulerent, aut admittent, aut dissuaderent, ut renuere ea tuta conscientia possint, quando vero non.

Sed antequam ulterius progrediamur quædam dubia generalia discutienda sunt, & primo quoad Medicos videndum, an indifferenter omnia remedia Medica consilium possint, nec ne, quæ norunt in Egrotantis salutem emanare posse, ac dicendum

ij. G g g 2

Medi-

4 Medicum omnia remedia consulere, ac proponere posse, dummodo neque ullo modo contra Animæ salutem, neque certe, aut dubitative etiam contra salutem corporalem redundare possint, & quoad primam partem respicientem Animæ salutem, nullum interuenit dubium, & de ea re sufficienter verba feci alias *lib. 5. harum Quæstion. tit. 3.* qui est, de *Error. Medic.* quoad secundam partem etiam, quæ respicit Medicamentorum dubietatem res est clara, quod nullum remedium consulere possit, quod aut certo contra corporalem salutem emanaturum sit, remanet tantummodo dubium in remedio dubio, quod dissolutum est ab aliquibus Canonistis dicentibus, Medicum non posse dubia remedia in usum trahere, ac præstantius esse, *Ægrum* relinquere in manus Dei, & vide nonnullas tam Canonistarum, quam Medicorum auctoritates apud P. Theophil. Raynaud. *de Part. coram nat. cap. 8. num. 2.* non obstante experientia Celsi sententia, Anceps remedium exgeri, quam nullum, medicamenta & remedia dubia Medicus consulere, aut imperare non debet absque gravi culpa, quæ quidem intrabit in ipsa remedii admissio antequam effectum suum prodat, culpa non vacat, de cuius gravitate, vel lenitate Canonistarum est determinare.

6 Cæterum quoad *Ægrotum* dabitur primo, an ex præcepto, & sub pena peccati teneatur obedire Medico. Plures Canonistæ quidem voluerunt non teneri, ita Innocentium, & Hostium relati per Codronch. *de Christ. Med. Rat. lib. 2. cap. 2.* Silvestr. in *sum. verbo Medicus num. 7.* Summa Ang. *num. eod. nu. 10.* Quin etiam supra citatus D. Theoph. Raynaud. *libro adnotato cap. 6. num. 3.* vult *Ægro* esse liberam prætermissionem remediorum, si sibi persuasum deat, expugnari posse morbum viribus naturæ sibi relicti, vel si maiorem exacerbationem ex remediorum usurpatione vereatur, & in summa omnium remediorum refectionum, dummodo non adfit certitudo salutis ex eorum admissione, quæ nunquam adest, esse licitam, & innoxiam probat ex victoria, ut ibi apud eum. Sed contra Priorum opinionem ipse Codronchius nonnulla adducit firmans, *Ægrotum* teneri obedire Medicorum præceptis sub pena peccati, in quam opinionem videntur etiam nonnulli Canonistæ consentire, ut Lessius *de Inst. & Iur. lib. 2. cap. 9. dub. 14. num. 96.* qui dum determinat, hominem teneri permittere sibi membrum secari, si Medici id iudicent necessarium, videtur multo facilius firmaturus, *Ægrotum* teneri obedire Medico in admissione aliorum remediorum, quæ tam aspera, ac tam intollerabilia non sunt. Protrita deinceps est Canonistarum sententia, quod *Æger* non admittens remedia naturalia, ac necessaria ad recuperandam salutem remittens se in manus Dei, mortaliter peccet, quia hoc est tentare Deum, & de huius peccati gravitate videant D. Lessius *lib. eod. de Inst. & Iur. cap. 45. nu. 4.* licet supra citatus P. Theophil. Raynaud. *ibid.* cum nonnullis velit non cadere in remediorum prætermissione hanc Dei tentationem, dummodo forte *Æger* non expectaret ab ipso Deo salutem per miraculum, atque ex hac causa renueret naturalia remedia. Quomodoque tamen sese res habeat, communior opinio est, in prætermissione horum remediorum peccatum intervenire ex parte *Ægro-*

tantis Medico non obediens. dummodo remedia neque nimis horribilia, neque nimis aspera, neque nimium dolorosa sint, nec nisi cum maxima displicentia, & abominantione admitti possint: tunc enim infirmum excusant omnes, quia nemo secundum rectam rationem adstringi potest, ut vitæ suæ consultum in præsentem velit per tormenta, & cruciatum, præsertim cum salutis eventus nunquam sit certus.

Cæterum si illud veritatem habet, quod infirmus peccat jejunando, ubi jejuniū notabiliter propriæ salutis futurum sit noxium *c. Non mediocriter de Consecr. dist. 5.* quanto magis peccabit si contra Medicorum præcepta quicquam vel admittat, vel renuat, quod vel admissum, vel rejectum notabiliter propriæ salutis sufficere possit? nam ubi infirmus jejunaret etiam cum salutis noxumento, apparenter saltem videretur bene agere, & deciperetur tantum sub specie boni, cum id videretur agere amore observandi præceptum jejunii; sed ubi quicquam admittit, vel rejiceret, quod notabiliter illi noceret, nihil tale illum excusare posset, sed potius accusari deberet, quod ex mollitie, ut displicentiam medicamenti non sentiret, vel ut pravo desiderio satisfaceret quicquam rejiceret, vel admitteret, quod rejiceret, aut admittere non potest, nisi cum notabili salutis præiudicio.

Verumenimvero præstabilius videtur ad hæc determinanda nonnullas conclusiones firmare, quarum prima sit, *Ægrum* teneri ex charitate proprii corporis, ejusque salutis Medico obedire generaliter loquendo, aliter contra prædictam charitatem facere, neque sine peccato, quod aggravare non parum videtur sacra pagine consilium in *Ecclesiast. cap. 38.* Fili in tua infirmitate ne despicias te ipsum, ac post nonnulla. Da locum Medico, & non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria. Nec solum contra propriam charitatem, & contra sacra pagine consilium facit, qui Medicos, & medicamenta respuit, sed contra omnipotentis Dei dispositionem, qui ut habetur ex sacro textu ibidem, Altissimi de Terra creavit medicamenta, & vir prudens non obhorrebit illa; quoadcunque ergo infirmus nulla potiori ex causa renuit remedia naturalia, à Deo in nostram salutem ordinata, absque dubio imprudentiæ notandus, quia abutitur, ac spernit potius Dei beneficium, cum quibus an culpa pari passu incedat, nec ne, Canonistæ videntur, illud certum est, quod si unaliquisque tenetur custodire propriam salutem quantum est ex se, & maxime in mediis, quæ Natura ipsa nobis offert, & necessaria judicantur, tenetur infirmus admittere remedia medicæ, & obedire Medico, quia opera ejus sunt necessaria, ut mox ex sacra pagina dictum est. Quia tamen remedia medica non sunt unius generis, neque omnia in omni casu, & omni tempore sunt necessaria, sed quædam magis, quædam minus, neque omnia item eadem facilitate in usum trahi possunt, sed quædam facillime, quædam difficillime, quædam cum nullo labore, & displicentia, aut cruciatu, quædam contra cum multo labore, cum multa displicentia, & cum cruciatu maximo, insuperque aliqua certiore salutem saltem probabiliter, alia vero magis dubium promittunt. idcirco secunda conclusio sit, quod infirmus teneatur obedire Medico admittendo remedia, quæ in primo capite ad salutem recuperandam sunt necessaria, & alia ex parte renuendo ea, quæ notabiliter noxia judicantur, &

à Me-

à Medico prohibentur. circa alia vero remedia quæ non sunt in primo capite necessaria, neque insigniter noxia, non graviter errare *Ægrum* qui ea vel admittat, vel respuit, & aggravari culpam ex majori, aut minori necessitate, & ex majori, aut minori noxia. Hæc omnia videntur fati probata ex ea suppositione quod homo non est suæ vitæ Dominus, neque potest quicquam facere, aut omittere, quod vitæ suæ certo, ac notabiliter præjudicet, aliter posset homo etiam vim sibi inferre, quod nullo modo dici potest, quoadcunque ergo infirmus respuit remedium in primo capite necessarium ad salutem corpoream recuperandam, aut quid assumit insigniter noxium, notabiliter, ac certo propriæ vitæ præjudicat, ergo non potest absque peccato infirmus absque sufficienti causa talia remedia respuere, aut contra Medici præceptum quid maxime noxium assumere. Nec dicatur, quod hæc habent locum, quando ex remediorum admissione adest moralis certitudo depellende ægritudinis, quæ nunquam adest; quia sufficit adeste probabiliter hanc certitudinem salutis, ut secundum plurimum habetur. Quis est, qui non dicat, aut non videat ex quotidiana experientia, sanguinis missionem in internis inflammationibus puta in phæniride, in pleuritide, in febre ardente, esse de certo salutarem? videmus enim ex hoc remedio plerumque immo inquam ex centum supra novem, & nonaginta salvari. non est ergo ob id, quod certitudo salutis in uno, vel altero non respondeat, rejiciendum remedium hoc incertitudinem, cum sufficiat eam in pluribus, & secundum plurimum adeste, & probabiliter de certo sperari posse. Modo cum Deus ex sacra pagine auctoritate determinaverit, opera Medici esse necessaria, non id sibi voluit, quod ita necessaria sint, ut semper suum effectum fortiter de necessitate debeant, hoc enim pacto ita necessaria declarasset opera Medici, ut cum illis homo perire nullo modo posset, quod non est dicendum. nam Deus hominem creavit mortalem, & cum tempus decedendi advenit, nullis remediis retardari potest, & quia idem Deus opt. max. noluit homini hujusmodi tempus revelare, noluit etiam hominem medica opera renuere, sed necessaria esse simpliciter determinavit, unde nunquam homo poterit hujusmodi opera renuere, sed supponere debet, esse semper necessaria, & sic Medico debet semper obedire in iis, quæ apprimè necessaria sunt ad salutem recuperandam, nam in cæteris nulla necessitas cogere debet infirmum ad admittenda remedia, quæ non tam necessaria sunt, & quæ rejecta notabiliter ejus salutem præjudicare non possunt, ut jam dictum est.

15 Tertio dicendum, *Ægrum* non teneri obedire Medico in admittendo remedia aspera, intollerabilia, & quæ cum summa displicentia, & anxietudine usurpantur, & videnti ad hoc citati per P. Theophil. Raynaud. *cit. lib. de Ori. inf. contra nat. cap. 6. num. 2.* contra ponderat enim asperitas remedii ipsius vitæ; quod tanto magis procedit, quanto remedia hujusmodi tam certam spem non promitterent ex eorum admissione, ut certa salus attendi posset: nam hæc certitudo salutis vitæ, ac ne vim quidem in alio remediorum genere reperitur: cum omnia probabiliter tantum dici possint profutura, non de certo ob individuorum, & morborum, & mille aliarum conditionum diversitatem, cum in diebus experiamur unum, idemque remedium, huic

quidem juvare, illi autem nocere, alterum vero nullo modo aspicere, immo unum, idemque remedium eidem personæ pro status varietati modo juvare, modo obesse; unde stante hac salutis incertitudine compensatur debitum illud charitatis personæ propriæ adjuncta etiam asperitate remedii; quomobrem exempli gratia, calculi per sectionem extractio, cum maximo vitæ periculo, & salutis incertitudine celebratur; non obligatur ergo calculosus in hoc Medico obedire, qui consuleret ad vitam protrahendam sese chirurgo secundum tradere; sic & membri demortui amputatio, & alia id genus respuit tuta conscientia ab *ægro* possunt, cum in hoc non teneatur Medico obtemperare.

Quarto dicendum, non posse infirmum ex eo, quod existimet, expugnari posse morbum propriæ naturæ viribus, respuere remedia, & auxilia Medica, quæ neque aspera sunt, neque multum dolorosa, neque summa impensa; neque aliter executione admodum difficulter demandari possunt, quod tamen licere existimavit supradictus P. Theophil. Raynaud. *pred. lib. de Ori. inf. comat. cap. 6. num. 3. inf.* & hoc summa cum ratione quia infirmus, ut infirmas non potest assequi vires suæ ipsius naturæ, neque cognoscere vires morbi, illique cum naturæ viribus comparare, atque inde certo elicere, naturam superare per se posse morbum. sed quid hoc? ne expertissimus quidem Medicus in semetipso *ægro* tante id cognoscere certo potest; poterit ergo *ægro* Medicinæ ignarus, & inexpertus plus nocere, quam expertissimus Medicus, nimis certe desert, & ultra quam admitti possit, Pater Theophilus *Ægrotantis* cognitioni, & coecondum omnino in hoc ejus dictum, qui tamen in cæteris tam prudenter, ac tam accurate solet discedere.

Sed neque potest *æger* respuere remedia, & medicamenta ex eo, quod majorem exacerbationem timeat ab ipsis, & difficillem suæ ipsius naturæ tolerantiam cognoscat ex remedii usurpatione, quia neque hoc semper eodem modo succedit; neque *Æger* semper uno eodemque morbo laborat, neque semper in eodem statu, & in eadem ætate permanet; ita ut quod in uno morbo sustinere non potuit, in alio facile sustinebit, & sic quod juvenem ledere poterit, juvare poterit consistentem, vel senescentem; hæc enim ita evariant ipsius *Ægri* conditionem, ut quod remedium alias multum naturam exagitat, de præsentem multum coadjuvabit, tanta fieri solet in naturis pro ætatis, aliorumque accidentium conditione mutatio. Non tamen hoc procederet ubi *Æger* haberet cum hoc, aut illo medicamento naturalem antipathiam, & contrarietatem ut si hortaretur Medicos assumere medicamentum; & velit præbere medicamentum ex Rosis, *Æger* autem à Rosæ odore naturaliter abhorreat, & ab ipso insignem læsionem percipere solet, ut est casus apud Amaran. Lustran. *Cent. 3. num. 100.* in quo *Æger* communis Medicum, quod Rosæ sibi esset inimica, ideoque respueret eam assumere in medicamento, Medicus ejus rei oblitus rosas præcipavit, ex aquarum portione *Æger* syncope præbens obiit. in quo casu, ac id genus aliis posset licite *æger* tale medicamentum respuere, & Medico non obedire; ut non indifferenter omnia, licet timeret de sua natura; id enim examinare, ac ponderare ad Medicum spectat, sunt namque interdam tales infirmorum timores inanes, & nullius momenti, licet Medicus debeat, stante ipsius *ægri*

aversione, cum hoc aut illo medicamento, illud commutare, & aliud æquivalens propinare. Quæ omnia semper intelligenda cum ea conditione, quando nempe propinatio talis medicamenti est apprise necessaria, quia nulla, aut levis culpa ægri intercedit, ut jam ad monui, si reuatur quid, quod ad ejus salutem recuperandam non sit in primo capite necessarium.

19 Quinto dicendum, malto minus repudiari posse ab infirmo tuta conscientia absque ulla confidentia suæ naturæ, aut timore quorum remedium, omnia & quæcunque præsidia naturalia permittendo securi naturæ, & in manus Dei non obstante, quod non expectaret à Deo salutem per miraculum, quia, ut jam superius dictum, abuteretur, aut potius despiceret ipsius Dei beneficium qui Medicinam creavit, & qui expresse per sapientem monuit, se idcirco medicamenta creasse, quia sunt necessaria, qui ergo respuit talia medicamenta respuit ipsius Dei beneficia nobis ad nostram exigentiam, & necessitatem concessa, non secus ac cibos, & potus. ac tantum errare videretur, vel paulo minus qui ad sustentandam vitam cibos, & potus respiceret, quam qui ad recuperandam sanitatem necessaria præsidia, & remedia naturalia respiceret, vel absque ulla cautela cibis & potibus abuteretur confidens de sua natura, & promittens sibi de ea, ut omnia, ac singula errata in victus ratione superare possit. Adde his, quod æger non potest habere ullam certitudinem, aut notitiam, utrum Natura possit absque necessariis remediis morbum superare, cum neque ipse Medicus ex Artis suæ præstantia id ipsum ullo modo assequi possit, dico pervenire ad certitudinem talem, ut cognoscat Naturam absque ullo remedium præsidio morbum debellaturam. Itaque ubi remedia sunt necessaria saltem probabiliter, non poterit æger ullo modo illa renuere ex hac confidentia propriæ naturæ, nisi alia ex parte potiorer haberet causam ea renuendi, quam justam, & sufficientem is, ad quem spectat, judicaret.

20 Sexto dicendum, ægrum non teneri obedire Medico assumentem, & admittendo remedia dubia, & que licet una ex parte salutem possint promittere, alia ex parte manifesto vitæ periculo illum exponunt, quia licet aliquando sanari possint, interdum tamen contrarium effectum sortita occidunt: nam neque Medicus talia medicamenta præscribere potest, ut ex Canonistarum auctoritate superius dixi, dato autem quod Medicus his non obstantibus id genus remedia proponeret, ac assumenda juberet æger non teneretur ullo modo obedire, cum nulla ratio suadeat, ut teneatur exponere se vitæ periculo etiam dubio, & satius sit, ac etiam magis prudens concilium remittere se in manus Dei; sed cum dictum sit, Medicum non posse talia remedia

21 præscribere, dubitari possit ulterius, an æger sciens dubietatem remedii aliquo modo erraret illud admittendo, & exponendo se vitæ periculo, ac videretur dicendum, salva semper veriori sententia, nullo modo errare, cum spes sanandi honeste ægri actum in illius remedii assumptione, cum licet medicamentum dubium sit, tamen ille movetur ad illud admittendum sub ea spe salutis recuperandæ, quod succedere potest, licet etiam posset contrarium succedere, quod maxime procederet, ubi salus alias esset jam desperata, & de vita acta res esset: tunc enim omnem aleam subire licet, & posset non solum æger dubium medicamentum absque ulla

conscientiæ nota assumere, sed & Medicus posset illud impune proponere, facta semper protektione de medicamenti qualitate; in hoc enim casu inerat Cornelii Celsi sententia, Anceps remedium experiri, quam nullum, & licet, ut alias dictum est; velint Canonistæ, satius esse in desperata salute ægrum permittere in manus Dei, quam dubii medicamenti exhibitione illum vitæ periculo exponere, tamen hoc intelligendum, quando majus, ac certius imminet periculum, quam ulla spes salutis appareat, nam ubi tam spes, quam timor pares sint, videtur, salve semper saniori sententia, absque omni culpa fieri in desperata salute anceps remedium usurpare.

Septimo dicendum, non teneri ægrum obedire Medico, si is imperet remedia extra communem medendi artem, aut contraria consuetis, ac rationabilioribus Medicinæ dogmatibus; ut si in febre ardentem Ægro merum copiosum bibendum suaderet, vel cibum aliquem deterrimum ac noxium comedere, vel sanguinem sibi mittendum curare post copiosum Vencris usum, vel in excedenti ventris fluxu diarrhætico, vel lienterico, & simili. Multoque minus teneretur obedire Medico Æger, si imperaret quid, quod esset contra Animæ salutem: in hoc enim non solum non teneretur obedire, sed peccat obediendo, ac debet potius mortem eligere, quam obedire; cum præstabilius sit mori, quam contra Deum peccare.

S V M M A R I V M

- 1 Remedia Diætetica pertinent ad usum sex rerum non naturalium.
- 2 In aëris usu quomodo errare possit Medicus, & infirmus, & Assidentes.
- 3 Infirmus specialiter quando esset in usu aëris ambiens.
- 4 In usu motus, & quietis quomodo errare contingat.
- 5 In somno, & vigilia quomodo se gerere debeat Medicus, Æger, & Assidentes.
- 6 Quomodo errare possit in quarta re non naturali, hoc est, in excretis, & retentis.
- 7 Quid admonendum circa Animi passiones tam quoad Medicum, quam quoad ceteros.
- 8 In cibo, & potu administrando Medicus quomodo errat.
- 9 In ciborum, & potuum usu infirmus quomodo se gerere debeat.
- 10 Infirmus veniens comedere in jejuniis cibos à morbo requisitos, & à Medico præscriptos peccat.
- 11 Concedere cibos noxios infirmis jam desperatis Medicus non potest.

Diætetica.

Q V Æ S T I O II.

Diætetica remedia pertinent ad usum sex rerum non naturalium, in quibus præscribendis Medicus debet se regere ut in quibusvis aliis secundum rectas, ac communes Medicinæ regulas, & æger teneretur illi obedire sub pena peccati, si inobedientia sit in notabile suæ salutis præjudicium. Prima autem sex rerum non naturalium aër est; in hujus usus Medicus errabit, si in leviori morbo, vel in convalescentia non omnino debili existente ægro, non permittat illum per domo exire ad Missam audiendam, ubi obligatio ex præcepto id requirit, vel ad aliud quid, ad quod ipse æger sit obligatus sub pena peccati imo tunc æger non teneretur illi obedire, ubi proprias vires notas haberet, ac nullum ab aère externo notabile damnum reportare timeret; deberet enim satisfacere obligationi audiendi Missam, aut alteri cuicumque ad quam sub pena peccati teneretur, non obstante Medici præcepto in contrarium.

At vero contra peccaret omnino graviter ipse æger, ubi Medicus cognoscens posse illi imminere notabile salutis noxium & ab eodem Medico admonitus de periculo, tamen recusaret obedire, & aeri improvide se exponeret, quod procederet etiam si hoc faceret ob desiderium satisfaciendi alicui obligationi, ut audiendi Missam in diebus de præcepto audiendam, quia tunc corporalis salutis periculum non solum illum recte excusat ab ea obligatione, ita ut impune possit abstinere, sed etiam obligat illum ad evitanda quæcunque propriæ salutis possunt notabiliter præjudicare, etiam id esset ex aliquorum præceptorum obligatione, ut in hoc casu esset obligatio audiendi Missam in diebus Festivis de præcepto. quæ quidem probatione non egent, & alias discussa satis superque sunt, & non sicut de his sit sentiendum, quam de Jejunio, & similibus obligationibus, à quibus eximi solent homines legitime ob aliquod justum impedimentum.

Non parum etiam errare contingit ægrotantes ubi non ex vi morbi, sed ex impatientia tolerandi calorem febrilem, stragulis cooperire se sufficienter contra Medici admonitiones recusant, & in causa interdum sunt, ut ab aère externo pori cutis clauduntur, & via irumpenti sudori præcludatur, qui forte febrem solveret. unde postmodum ex benigna febre maligna efficitur, & ex tuta periculosa, ut indices observamus in iis, qui nimis intemperantes sunt, & nimium sensui, & corpori proprio indulgent, quos satius esset suæ intemperantiæ manducandos relinquere, quam pati inter medendum tantopere contra propriam salutem operari.

4 Secunda res non naturalis motus, & quietis est, in cuius administratione Medicus graviter errare potest imperando motum intempertum, ut si febricitantem cursu, & lucta defatigaret ad eliciendum sudorem, ut Prodicus iste apud Hippocratem 6. Epid. Sect. 3. text. 27. sed infirmus tunc licet ægre posset obtemperare, non teneretur ejus præceptis obedire ullo modo, nam hujusmodi remedium contrarium omnino est rectæ medendi rationi, cum febris exposcat refrigerantia, & hamectantia, motus autem, & labor exaltent, & exerceant; itaque non motus imperandus, sed quietis, infirmusque lecto est continendus, interdum omni motu maxime laborioso. dissolvit enim meliores spiritus motus, ægrumque ita debilem reddit, ut postmodum cum morbo luctari non valeat, sed omnino succumbere cogatur, ut infirmis, quos curandos suscipiebatur prænominate Prodicus eveniebat, eos enim omnes occidebat tali medendi ratione. In hujus rei usu potest quoque notabiliter infirmus peccare, ubi contra Medici præceptum quicquam faceret, movendo se ac defatigando intempertivo cum maximo, ac notabili salutis detrimento, etiam hoc faceret ad quem bonum finem, exempli causa, ut alicui obligationi satisfaceret, cui teneretur ex præcepto, non aliter quam superius in similibus dictum

fit. Pari errore implicaretur infirmus, qui nimia quiete, & otio morbum insigniter foret, & notabiliter salutis propriæ præjudicaret. In quo casu occurrit dubitare, an si Medicus judicet exempli gratia, Chacheticum, seu Hydroticum moveri debere, ille autem in hoc difficultatem sentiat, ac labore non mediocre, ejulque ea causa recuset se movere, ac Medico obedire aliquo modo peccet, cum motus ad ejus curam sit maxime necessarius, ac dicendum videtur, ægrum debere quidem omni conatu propriæ salutis consulere, sed non intervenire in hoc notabile erratum, cum difficultas se movendi sit excedens, à qua excusatur ab inobedientia Medici, si à motu abstinere.

Tertia res non naturalis somnus, & vigilia est, in quibus rebus præscribendis Medicus rationalis, Artis regulis innixus procedere debet, & infirmus in his, ut in cæteris omnibus peccaret, ubi somno intempertivo, & immoderato uteretur cum maximo salutis propriæ præjudicio, & nollet pati se ubi vigilandum est, excitari, ut in accessionibus febrium, in quibus si somnus non esset nimis innaturalis, & profundus ita ut inde argueremus impotentiam infirmi se abstinendi à somno, sed tantum esset levis inclinatio ad dormiendum, quæ cum superari facile possit, tamen æger dormire vellet, certe ex mea sententia omnino peccaret ex mollitie, & impatientia vigilandi, quia hoc esset in præsentaneum damnum, ac id quidem grave propriæ salutis, ac tantumdem esset rebus noxius, & aliis rebus maxime salutis contrarius contra Medici præcepta uti vellet.

Ex quarta re non naturali etiam remedia Medica defumuntur, ea est excretio, & retentio, & in hac ipsa, ut in reliquis si æger quod prætermittat, aut admittat quod insigniter, damnosum sit ejus salutis, absque dubio ob incontinentiam peccati reus censendus, hujusmodi erroris insimulandus esset quoties alio non fluente, & ad periculum usque ad stricta diu permanente, reuenerit aut clysteres, aut suppositoria, aut medicamentum, aut quodvis aliud præsidii genus, quod ad ciendum remorantem alvum est destinatum, nam non adeo rarum est, ut aliquando non contingat, quosdam ægros tam morosos esse in his remediis admittendis, ut quamvis aleam potius currere determinent, quam illis uti, etiam ab his neque ullum insignem dolorem, neque notabile incommodum neque fastidium reportare soleant, sed ex sola pertinacia ea remedia renuentes, feminæ præsertim, in quibus convincendis nulla ratio, quæ persuadeat inveniri potest, sed & Assidentes interdum præter rem ex proprio firmitate interdum quædam offerunt ad ciendum alvum, aut quædam consulunt, vel applicant ipsis infirmis unde quæque noxia, & mortale omnino eos peccare, forte dubio, apud Canonistas non erit locus.

Ad animi passiones pertinet quinta res non naturalis, ad quas refrandas æger quantum fieri potest, & quantum Medicus imperaverit, teneatur excusatur tamen in hoc ob impotentiam, & impossibilitatem tales passiones refrandandi, quæ ut plurimum, ne semper dicam ab humorum exuberantiam qualitate dependent, pro eorum eam natura hæ aut illa passiones vigere solent, & nisi hujusmodi humores, vel resolvantur, vel evacuentur, vel in aliam naturam abeant, vix possibile est, ut æger sese cohibere possit, cum vehementes maxime sunt, quia permanente causa illas excitant.

te, necesse est etiam eas passiones vigere. Verum ad Medicum etiam pertinet passiones huiusmodi compescere pro artis suæ industria, & quia aliquando pro remedio aliquorum morborum opportunum videtur modo unam, modo aliam passionem excitare, videndum, an liceat Medico tali remedium generis uti; scimus enim in frigidis morbis, ut in somno profundo, & innaturali, aliisque frigidis affectionibus conducere bilem movere, iramque excitare, & ubi sanguis luxurians delirium cum risu, cum nimia petulantia concitat, præstat aliquid triste agro nunciare, & melancholiam, aut tristitiam irritare, quod ægrum à sua petulantia cohibeat. Sed & in sanguinis emptionibus maxime cum impetu factis, aliisque excretionibus immoderatis, & excedentibus subitus timor incussus pro præsentaneo remedio est, eaque subito cohibere solet: Itaque serio inquirendum, an ad aliquos præcipites morbos sanandos has passiones excitare Medico liceat. ac dicendum videtur, non aliter de his sentiendum, quam de aliis quibusque medicis remediis, quibus in tantum uti licet, in quantum tuta undequaque vel magna ex parte sunt, sed si dubia undequaque, vel magna ex parte sint, ab illis abstinendum; si ergo ex subita aliquarum passionum excitatione imminer evidens vitæ periculum subiti interitus, Medicus abstinere debet non minus quam ab aliis dabiis remediis, & quæ nullam securitatem promittunt, quibus abstinere satius est, & ægrum in manus Dei permittere, ut Canonistæ sentiunt. quamobrem non omnino admitterem Cardani remedium excitando subitum, ac magnum timorem instantis mortis ad compescendam impetuofam sanguinis ex naribus eruptionem in quodam infirmo; nam id generis remedii maxime dubium, & periculi plenum est, cum per timorem sanguis cum impetu ad cor recurrat, & possit ipsum momento suffocare. itaque abstinendum ab his, & similibus remediis cenleo, eo quod & dubia sint, nec tuto operentur, & major sit periculi timor ab his, quam spes ulla salutis.

8. Connumeremus nos pro ultima re non naturali cibum, & potum, in quorum administratione Medicus multoties, ac multifariam errare potest, ut alias *Tit. de crim. Medi.* monuimus, vel nimio rigore, vel nimia indulgentia, eodemque modo infirmus, & assidentes. Medicus in his, ut in aliis omnibus communem, ac rationalem medendi fervet, itaque tenuissimam dietam per plures dies imperare extra morbi exigentiam non debet; æger autem, si imperaret, & cognosceret ad rem suam non facere, non teneretur obedire, sed è contra non servando dietam rationabiliter à prudenti Medico præscriptam, & insigniter errans in notabile præiudicium propriæ sanitatis maximo peccaret, non solum, inquam, si Medicus tenuissimam dietam præscriberet, & ille largiorem servaret, sed etiam, & forte graviter, si Medicus tenuem, aut etiam plenioram imperaret, & ille servaret tenuissimam; & dixi, quod forte graviter erraret infirmus, qui ex proprio Marte tenuiorem dietam servaret contra Medici præceptum, & Medicinæ regulas, quam si largiorem servaret ubi tenuior à Medico secundum Artis propriæ regulas imperata esset, quia minus malum est repletio, quam inanitio, & in multo majus sanitatis præiudicium est inanitio excedens, quam excedens repletio, unde morbi ex repletionem facti multo facilius curantur, quam facti ex inanitione,

juxta illud Hippocratis, facilius est repleta evacuare, quam evacuata replere.

In cibis eligendis æger tenetur Medici præceptis obsequi, illudque hic etiam repetendum errata quæcunque notabiliter propriæ salutis præiudicare possunt, culpæ obnoxium pro errati, & prædicti præiudicii gravitatem hominem reddere, quod tamen Canonistis decidendum relinquo. Sed in assumptione ciborum quomodo se gerere debeat æger, an peccet nimirum si vim sibi facere recuset, neque ullo ingenio curat sibi metipsum cibis opem ferre ad vitæ sustentationem ita ut ob hoc de facili periclitetur, non adeo in promptu est. nam una ex parte ad impossibile nemo tenetur, videmus enim in ægris interdum deploratas inappetentias, tantasque à cibis abominaciones, ut quidvis pati potius sint parati, quam cibos assumere, alia vero ex parte non dubium est, quod cibis in totum abstinere est seipsum interimere, contra quam unusquisque tenetur ex proprii corporis saltem charitate; dicendum ergo videtur, teneri aliquo modo infirmum ad id, quod potest, vim sibi aliquo modo inferendo, non tamen magnam intervenire culpam si addit inexpugnabilis repugnantia assumendi cibos ob morbi violentiam. si licet in sumendo vero infirmus, invitus enim ægrotus id facit, non potest ob eam repugnantiam ciborum assumptione sibi succurrere. Sed intervenire peccatum si cibos bonos admittere ob eam repugnantiam recusat, deteriores autem admitteret? ac profecto si ex violentia morbi id accideret, non videretur peccare, quia satis est deteriore cibo vitam sustentare, licet morbo is sit contrarius, quam meliorum abstinentia omnem vitæ spem amittere. Neque ab re Hippocr. *lib. 20 Aphor.* 38. dicebat deteriore cibum, ac potum suaviorem, meliori ac minus suavi esse præferendum, nam licet ibi dicat paulo deteriorem cibum, aut potum, non promittit quemcunque deteriorem meliori, ac minus suavi esse præferendum, loquitur ibi in casu, quo etiam minus suavi æger possit assumere, & in casu nostro, ubi supponimus ægrum quavis sibi vi facta meliores cibos non posse admittere, & tum admittere deteriores, locum habet id, quod determinavimus, licet ægro deterioribus cibis uti, ne totali ciborum abstinentia deficiat, si ex morbi violentia meliores assumere non potest.

Sed advertendum, quod infirmus reculas in jejuniis comedere cibos à morbo requisitos, & à Medico præscriptos, licet vitatos volens jejunium servare omnino peccat, si in notabile præiudicium propriæ salutis id fit, unde muliercula, quæ nunquam norunt rationibus acquiescere, in hoc peccato sæpissime implicitas videmus existimantes se bonum; immo melius opus perficere jejunando etiam in corporeæ salutis non continentium damnum, quam vitatis cibis propriæ salutis consulere. Sed apud illas nulla ratio tam valida est, ut hoc illis persuaderi possit; manentes autem in eam ignorantia, ac pertinacia sæpissime ex hoc errore in vitæ dispendium labuntur, & suæ pertinaciæ penas launt.

Huc spectat etiam ciborum quorundam, ac potuum per Medicum concessio, qui morbo adversissimi sint, ac possint insigni damnum ægro afferre, plerique enim Medici in desperatis morbis ægris quæcunque volunt concedunt; quin & ipsi ægri, & assidentes in eandem culpam labuntur, quod tamen mor-

Pharmaceutica.

QVÆSTIO III.

mortale peccatum inferre ostendit pluribus Codronch. *de Christ. Med. Rat. lib. 1. cap. 8.* non enim dubium esse debet huiusmodi pravos, ac noxios cibos, vel potus mortem in desperatis ægris accelerare saltem posse; unde certum est, quod etiam si per momentum ægrotanti mors acceleraretur, Medicus, & ministros id consulentes, aut offerentes eorum reos effici, quod ulteriore probatione non eget. Circa potum vero illud specialiter discutendum, utrum tantundem peccet æger assumendo potum ad extinguendam sitim, ut assumendo cibos noxios, ut appetitum tantum satisficiat, dicendumque videtur non esse parem utriusque rationem; quia ciborum appetitus facillime tolerari, & superari potest; non sic autem sitis, quæ res maxime anxiosa est, & toleratu difficillima, ita ut, quemadmodum alias dixi, facilius toleretur fames per diem, quam sitis per horam, quæ causa potissima fuit, quod sancta Mater Ecclesia non obligavit nos, ut in jejuniis sancti corpora macerarem, sed tantum fame, & cibi ablatione, cognovit enim sitis tolerantiam posse in maximum salutis corporeæ damnum redundare, accendendo sanguinem, & spiritus, & augendo respirandi necessitatem, vigiliasque & alia accidentia perniciosissima excitando; non sic autem fames, & ciborum abstinentia, quamobrem decernendum videtur, an æger ex sitis molestia potum contra Medici præceptum assumens aliquo modo contra animæ salutem operetur, ac dicendum videtur, nullo modo in culpa esse, quia excusari debet ob intolerabilem molestiam ipsius sitis, quæ dicitur, immo cogit ægrum, ut aliquo modo exigentia propriæ subveniat, partemque exsiccatas refrigeret, ne inflammantur, & respiracionis necessitas augeatur, & alia inde mala succedant, quamobrem non tenetur æger in huiusmodi ardenti sitis, ac clamosa, tam rigorose præceptis Medicis obtemperare, quin & ipsi Medici contra Medicinæ regulas, immo inquam forte contra propriam conscientiam peccant, qui ægros suos sitis tolerantia exagitant, ac misere torquentes illos ad aliquem morbum exitialem, ut pulmonum, pectorisque inflammationem, irreparabiles vigilias, anxietudines, & id genus alia symptomata inducunt.

S V M M A R I V M.

1. Remedia dubia Medicus præscribere, vel admoveere non debet.
2. An infirmus, qui scios assumit medicamentum dubium, peccatum committat.
3. Remedia superstitiosa neque Medicus præscribere, neque assumere sine peccato gravi potest, sic consulentes.
4. Medicus non potest medicamentum nimis purgans & suspecta violentia præscribere, neque æger tenetur illud assumere, amplius quoad ægrotum. num. seq.
5. Non potest Medicus uno eodemque die plura remedia generosa usurpare.
6. Æger an abique Medici consilio assumere possit medicamentum catharticum, ac validum.
7. Æger non debet Medicum importune sollicitare ad aliquod remedium sibi exhibendum.
8. Æger quando venatur remedia admittere, quando vero non.
9. Æger non sine summa culpa decipit Medicum asserendo se assumisse remedium, quod non assumpsit, vel contra.

In finita pene numero sunt remedia ex Pharmacia desumpta, in quorum usurpatione tam Medicus, quam infirmus, & Assidentes, errare graviter potest; jam vero & hic speciale locum habent duæ conclusiones jam alias firmatæ; prima quod remedia dubia Medicus præscribere non debet. Codronch. *de Christ. Med. Rat. lib. 1. cap. 6.* ubi & quæ sint hæc dubia remedia declarat, tametsi alias in desperata salute licere dubium remedium usurpare ostendat Theoph. Raynaud. *de Part. contra nat. cap. 8. num. 3.* sed dubium Canonistis decidendum intervenit, utrum infirmus sciens assumens tale medicamentum non minus quam Medicus in culpa sit, cum contra propriam charitatem, & corpoream salutem operetur eam in discrimine ponens. Secunda conclusio, quod remedia superstitiosa neque Medicus sine mortali culpa, præscribere, aut consulare, neque alius quisquam admittit infirmus potest. His generaliter positus ad magis particularia descendamus, ac silentio præteritis singulis Pharmaceuticorum remedium speciebus (hoc enim & nimis difficile, ac operosum, nimirum longum esset, ac intollerabili tanto lectorem afficeret) de solventibus primo aliquid dicamus. Medicus ergo non potest medicamentum nimis purgans, & ex cuius violentia superpurgatio, aut alia timorosa accidentia expectari possunt, ægris suis præscribere sine gravi culpa, ut ostendit Codronch. *lib. 1. de Christ. med. rat. cap. 14.* cum tutius sit medicamentum infra id, quod deberet, quam ultra operari ob virium conservacionem, quam primo loco respicere tenetur. Sed nec æger Medico obedire ullam habet obligationem, si tale præscribat illi medicamentum, cuius vim etiam ille haberet notam ex publica voce, & fama; ut si vellat illi propinare Antimonium, Mercurium, sublimatum dulcificatum, Helleborum, & alia id genus, quibus nonnulli procacissimi Chirurci, & Empirici indiscriminatim utuntur, & cætera item quibus etiam Rationales Medici morbos depellere student, ubi vires non reculant. Hæc enim licet à prudenti Medico præscriberentur, non teneretur æger admittere, si de sua salute dubius esset, possetque ea ob eundem timorem, tuta conscientia reculare. Nec solum si medicamentum purgans nimis violentum sit, potest æger illud abique culpa renuere, sed etiam si esset nimis horribile & cum maxima aversione, sumendum esset; excusatur enim æger ob extimiam illam displicentiam, maxime si alia eorum vice à Medicis usurpari possint, neque enim ab aliquo singulari medicamento, certa, ac secura salus promitti ita potest, ut alia in eius locum non suppetant, ubi ergo hæc certitudo salutis absit, ad quid cum tanto honore, & displicentia hoc potius medicamentum, quam aliud minus horribile, & quod facilius assumi potest, usurpare? Quinetiam illud habere locum hic crediderim, quod dato etiam quod in assumptione huiusmodi medicamento daretur certitudo salutis, quæ tamen nunquam datur, non teneretur tamen æger ob difficultatem assumendi illud admittere, ut in similibus ostendit P. Theophil. Raynaud. *de Ori.*

ori. *Iof. contra nat. cap. 6. num. 2. & 3.* nam et si negligere propriam salutem sit contra proprii corporis charitatem, tamen nolle huiusmodi medicamentum assumere etiam si ab eo certam speret salutem, non est illam negligere, sed nolle eam tali medio recuperare, quia est maxime horribile, & ipsam naturam summopere affligit; licet enim magis respiciat propriam charitatem recuperatio salutis per huiusmodi medendi assumptionem, tamen etiam propriam, charitatem videtur respicere declinatio tam horribilis remedii naturam summopere exagitantis, & assigentis.

6 Præterea non potest Medicus uno, eodemque die plura generalia remedia prescribere, maxime si sibi essent contraria, ut si eadem die sanguinem mittere, & purgans medicamentum exhibere vellet, neque æger hoc cognoscens teneretur illi ullo modo obedire; cum hoc contra bonas Medicinæ regulas omnino sit, & facile posset Ægrum vitæ periculo manifestissimo exponere, ad quam custodiendam tenetur Æger etiam spernendo præcepta ipsius Medici, dummodo hoc serio cognosceret; & apud idiotas quoque id videretur præter rationem fieri.

7 Sed potest ne Æger ex proprio Marte, & absque ullius Medici consilio assumere medicamentum catharticum, ac validum, aut aliud remedium generosum usurpare? ac videtur dicendum, non posse, quia si uniusquisque tenetur propriam salutem, quantum est ex se, quovis medio tueri, tenebitur etiam ea evitare, quæ eandem salutem in manifesto discrimina probabiliter ponunt, sed huiusmodi sunt prænomina remedia absque recto consilio, & ratione usurpata, ergo non poterit æger ex se illa assumere, neque alia quævis persona talia medicamenta consulere, aut offerre: quæ conclusio videtur etiam locum habere in aliis remediis ad Pharmaciâ non spectantibus, ut in diæta tenuissima ad longum tempus servata, in copiosa sanguinis missione & id genus aliis. Ex quibus etiam sequitur, quod Æger, si specialiter sit vir magnæ auctoritatis non debeat importuna instantia Medicum urgere, ac pene cogere, ut sibi aliquod medicamentum præbeat, quod Ægro ipsi quidem arrideat, sed ipsi Medico nequaquam: nam evenit interdum, ut ægri totam spem sanitatis in hoc, aut illo remedio reponant, quod illi ex proprio Marte elegerint, vel quod Empiricus aliquis, vel Chymicus, vel muliercula, vel quævis alia persona proponat, & inflet summa importunitate apud Medicum, ut assumptioni huiusmodi medicamenti descendat, Medicus autem ægri importunitate, & auctoritate volens, nolens, ac cum aversione animi consentiat. Sed & Medicus consentiendo, & ipse æger nimia instantia Medicum ad consentiendum cogens, graviter omnino errat; de gravitate vero & levitate hujus erroris Canonistæ dijudicabunt.

Quoad reliqua autem medicamenta, quæ solvencia non sunt, ubi generalia sint, & efficacia, caute à Medico præscribi debent; ægrotus autem, neque omnia, neque in omni casu ea respuere potest, aut admittere tenetur.

9 Duo vero specialiter consideranda, remedium difficultas, & asperitas, ac displicentia, & salutis ipsius periculum; nam ubi remedium asperum est, aut dolorosum, vel assumptione difficillimum, &

horribile, aliaque ex parte dubium, licet majorem spem promittat salutis, quam periculum, quod tam probabile timeri possit, remedium huiusmodi poterit ab ægro tota conscientia respui, sed si periculum sit præsentaneum, & quasi certum, non tam in propatulo est, an æger teneatur, necne illud admittere; ubi vero remedium sit mediocriter asperum, & periculum non sit certum, nec præsentaneum, sed major spes salutis effluat, æger de sua salutis sollicitus tenetur obedire, aliter peccaret graviter contra propriam charitatem. Sed si remedium neque asperum sit, neque ullo tædio usurpari potest, & salutis periculum, aut est certum, & præsentaneum, aut etiam probabiliter timetur, æger certe non solum peccaret, sed pro infano reputari posset illud non admittens; & tamen videmus nonnullos tam delicatos, ut quantumvis à morbo molestentur, & in vitæ periculo versentur, vix, ac ne vix quidem levissima remedia admittunt, quoniam etiam omnia remediis generis imprudentissime respicere; verum his Medicus denique quidem non debet, sed eos propriæ mollietatis, & ignavia regendos relinquere.

Præterea non videtur sine notabili culpa posse infirmus Medicum decipere, asserendo, se medicamentum assumpsisse, quod nequaquam assumpsit vel non assumpsisse aliquid, quod assumpsit: nam circumscripta culpa ex mendacio proveniente, si id in non contemnendum propriæ salutis damnum redundet, non carebit notabili culpa, de cuius gravitate, & levitate, ut in cæteris quibusque aliis similibus casibus Canonistæ determinare poterunt. quod procedit quidem nisi alia potiori ex causa renuisset assumere, ut quia medicamentum erat nimis ingratum, aut nimis validum, aut ab eo quomodocumque abhorrebat; tunc enim forte partim excusaretur ab inobedientia, licet à mendacio excusari non posset.

S V M M A R I V M.

- 1 Quoad sanguinis missionem quomodo se gerere debeat Medicus.
- 2 Infirmus quatenus admittere teneatur sanguinis missionem.
- 3 Membrorum amputatio utrum fieri tuta conscientia possit.
- 4 Sectio cæsura quatenus consulenda, vel admittenda.
- 5 In uteri clausura an liceat sectionem adhibere.
- 6 Ani clausuram sectione sanare an licita.
- 7 Sectio in Empyemate an licita.
- 8 Sectio in Hydropis an tuta, & licita.
- 9 Nasi, aliarumque partium deperdiarum restitutio quatenus licita.
- 10 Palpebrarum adhesio an sectione sanari debeat.
- 11 Cuius apertiones in capite, terebrationes, usiones, & id genus operationes alia, an tuta, & licita.
- 12 De Cataractarum extractione tuta ne sit, & licita.
- 13 Lapidis ex vesica extractio an tuta sit, & licita.
- 14 Castratio tuta ne, & licita sit.
- 15 Alias chirurgicas operationes quando suaderet, & admittere debeat Medicus.

Chi-

Chirurgica.

Q V Æ S T I O I V.

Circa remedia Chirurgica plura observari possunt, & primo suppositis regulis generalibus ad alia quoque remediis genera spectantibus, ad aliqua particularia descendamus. Et primo quoad sanguinis missionem Medicus tenetur communem viam tam in profusa, quam in parva executione sequi. Errat tamen magis, qui superabundanti utitur, quam qui pauciori; immo graviter errare, & suorum ægrotum homicidas esse constat aliquos Medicos, qui nimis copiose sanguinem detrahentes, eosdem ægros ad malum habitum, & Hydropem, vel ad insuperabiles convalescentias, vel ad alios morbos ob tam affluentem sanguinis missionem deducunt, Horum Medicorum præceptis nullo modo tenetur infirmus obedire; immo dato etiam, quod morbus requireret talem sanguinis missionem, hoc est copiosissimam, & usque ad animi deliquium, non teneretur infirmus illam admittere, cum dubium id genus remedii sit, & possit hominem interficere, licet in aliquibus sit necessarium, tutior enim semper est repetita sanguinis missio, quam confertim, & unica vice facta; multo minus potest æger tuta conscientia ex se, ac proprio Marte sibi sanguinem affluentem detrahare, eademque periculo sese exponere, de quo proxime. Alia autem ex parte peccaret omnino infirmus, qui in morbo huiusmodi remedium maxime exigente, illud admittere recusat cum evidenti periculo propriæ salutis; cum enim remedium huiusmodi nullum habeat secum adjunctum periculum, aut dolorem, aut molestiam, & undequaque tutum sit cum est necessarium ad salutem recuperandam etiam probabiliter, ut in febricitante, in pleuride, in Peripneumonia, in Hepatis inflammatione, & similibus morbis, internisque inflammationibus, æger illud renuendo sui ipsius homicida est, nam exponit se præsentaneo mortis periculo, à quo sola sanguinis missione vindicare se potest.

Offeruntur post hæc aliquæ Chirurgicæ operationes, de quibus dubitare contingit, an Medicus eas in usum trahere possit, necne, & ægrotus possit eas admittere, necne. ac primo de membrorum amputatione considerandum, utrum fieri necessitate urgente tuta conscientia possit, nam aliquando ob gangrænas, aut quid simile cogitur Medicus membrum aliquod amputare, quæ operatio non undequaque tuta est, quia vix, ac ne vix quidem evenit, ut integrum membrum corruptum, aut integra pars corrupta amputetur, non læsa parte sana, aut si integrum membrum corruptum non amputetur, non relinquatur corruptæ partis portio, ex qua periculum idem, quod imminet ab integra parte, adhuc perleveret; & in utroque casu inest evidens, ac præsentaneum periculum, unde videtur fatius esse, ægrum in manus Dei permittere, quam tale remedium tentare, quod ultra nullam securitatem ab eo promissam, & horrore, & dolore est evidenter molestissimum quibus tamen non obstantibus dicendum, posse quidem Medicum in extrema angustia tale remedium proponere, & consulere, sed non teneri infirmum illud admittere,

re, stante horrore, ac summa tam asperi remedii molestia; ut pluribus ostendit P. Theophil. Raynaud. de part. con. nat. cap. 6. num. 2. & seq.

Præterea de sectione cæsura considerandum, operatione nimirum difficillima, & periculi plena. est autem hæc sectio operatio circa extractionem fetus vivi ab utero Matris viventis, quæ aliquando à nonnullis in usum protrahita est felici cum successu, ac de ea videnda quæ scriptis consignavit Roussetus in libello ad hoc dicato. Sed quia, ut dixi, operatio hæc difficillima est, & periculi plena, non videtur à Medico tam prompte proponenda, aliaque ex parte nullum in hoc intervenire peccatum ægrotantis, si obedire recusaret, ob remedii immanitatem, ac præsentaneum vitæ periculum. Quibus tamen non obstantibus quando, & in quibus casibus Mater teneatur, vel non teneatur admittere huiusmodi remedium, summa diligentia, & exquisita ac perdocte docuit P. Theophil. Raynaud. cit. lib. de Part. con. nat. peritorum, quem omnino videre qui de huiusmodi argumenti veritate certiores fieri volunt, debent; unde ego lectores ad eum libentissime remittam.

Circa Uteri clausuram dubitare contingit, ut de superioribus, & quoad Medicum non videtur ullo modo errare, si tali clausuræ succurrendum sectione suadeat, cum malum sit maxime notabile, & multa pericula secum afferat, & ejus curatio per sectionem à periculo magna ex parte sit aliena, nisi multum dolorosa futura sit. Infirma vero tum demum teneretur obedire, cum huiusmodi clausura vitæ indidaretur, alias autem non; nisi cum insigni tormento cura esset perficienda eodem modo etiam Medicus si cognoscat sectionem huiusmodi tutam futuram, vel saltem probabiliter id speret, & plura apparent conspicua sanationis signa, quam periculi, salva conscientia illam consulere, ac celebrare etiam potest. Sin res in dubio est, ut quando clausura est maxime interna, vel fit potius à carne, quam à membrana, vel ab alia re, quæ magis operosam reddat sectionem, potius debet ab ea abstinere, ut à remedio dubio, & periculoso; atque uno modo se gerere debet, ubi sectionem ad vitam sustinendam necessariam esse existimet, ut in casu à Hyeron. Fabricio narrato lib. de Operat. Chirurg. relat. à Dan. Sennert. lib. 4. Pract. p. 1. sect. 1. cap. 3. alio vero, cum non ita necessariam credat, in primo enim casu teneretur suadere, ac cogere infirmam ad obediendum, & ipsa infirma aliquo modo teneretur obedire, in secundo vero nequaquam.

Majus incommodum habet Ani clausura, de qua idem Hyeron. Fabric. lib. 1. Observat. 73. & alii. Sed quia hæc operatio in puerulis nuper natis tantum plerumque habet locum (neque enim cum Ani clausura homo longo tempore vivere potest) nihil ex parte infirmi dignum consideratione non offertur, cum liberam voluntatem non habeant, & sui juris non existant. Quoad Medicum non est dubium, quod cum Ani apertio sit simpliciter ad vitam necessaria etiam si alia ex parte aliquid periculi minaretur, consulenda, ac tentanda tandem tamen omnino esset; quia præponderat periculum certum, ac evidens, & præsentaneum, quod imminet ab ipsa Ani clausura periculo, quod imminet ab ipsa apertione.

In Empyemate, nempe in Puris collectione in Thoracis cavitate, antiquitus præsertim, sectio fiebat, inter quartam, & quintam, aut inter quintam, & sex-

& sextam costam ad ipsum collectum pus extrahendum, in qua operatione timidissimi sunt Neoterici, quos hujus timiditatis instigat Rondelet. *lib. 2. Pract. cap. 15.* apud Sennert. *lib. 2. pract. cap. 19. part. 2.* sed non sine ratione irrepsit hæc Neotericorum Medicorum timiditas; nam præterquam quod tuta undequaque non est hæc operatio, læpissime in ea Medici decipiuntur secantes locum non idoneum ad pus extrahendum, cum non semper idem locus secandus sit, unde emerfit inter ipsos Medicos contentio de loco secando (quod multo majorem, & minus tutam operationem demonstrat) cum non solum, ut dixi, inter quartam, & quintam, aut inter quintam, & sextam costam nonnulli fieri sectionem volunt, sed contendunt alii secandam esse inter secundam, & tertiam, alii vero inter tertiam, & quartam. Sed quomodocumque sese res habeat, operatio certe dubia est, & non omni ex parte tuta; unde nec temere consulenda, nec tentanda, nisi nulla alia via salutis adit. Sed infirmus hujusmodi remedio suam vitam redimere, ob ipsius remedii qualitatem, cum dolorosum sit, & minus tutum; & in hoc casu posset se potius remittere in manus Dei, quam tali tormento se submittere.

Idem dubium habet sectio in Hydrope ad extrahendam aquam morbum facientem, idemque periculum, non solum ex violentia sectionis, sed ex ipsius materie extractione, quippe cum aliquando pus, & aqua ex facta aperture confertim, & affluenter exeundo, Egrotos perimere solet, juxta Hippocr. *sententiam lib. 6. Aphor. 27.* Empyematici, vel Hydropici quicumque secantur, aut urantur, si pus, aut aqua uniuersim effluerint, omnino moriuntur. Quamobrem idem omnino dicendum & respectu Medici, & respectu Infirmi de hac sectione in Hydrope, quod de uestione, aut sectione in Empyemate dictum est, nisi aliquid majoris timoris irreperere dicas duplici ex causa; una ex parte caloris naturalis, qui debilis videtur in Hydrope, & facile extingui posse, altera ex parte extractionis materie aquæ, quæ magis prompte effunditur in Hydrope, quam pus in Empyemate, cum tenuior materia sit, & in parte decliuori contineatur. Itaque magna cum cautella à Medico consulenda, aut tentanda talis sectio est, & non nisi in summa, ac extrema aliorum remediorum desperatione, optime primo loco perpenfis Egri viribus, cæterisque ad id peragendum necessariis.

Inter operationes præterea chirurgicas, negotiosa est, & difficultatibus plena nonnullarum partium recuperatio, ut Nasi, Labiorum, & Aurium, quas subire nullus æger tenetur, cum earum carentia, nihil momenti ad vitam habeat, earumque integritas ad decorem tantum, & vix ad aliud quicquam effatu dignum inferviat. Medicus certe, qui experimento polleat, poterit has operationes consulere, ac tentare, cum periculo magna ex parte carcant; nisi velis operatione non recte secuta, timeri posse inde gangrænam, seu sphacelum, & partium corruptionem; quæ tamen à peritissimo chirurgo, & in similibus operationibus experto non difficulter evitari possunt.

10 Est & quædam chirurgica operatio circa palpebras; nascuntur enim quidam palpebris conjunctis, ita ut cernere non possint; unde necessitas emergit aperiendi ipsas palpebras, quod opera manuali fit ab ipsis Chirurgis apertis, quibus apertis ac disjunctis oculus inde emicat ad sua munia obeunda aptissi-

mus. Operatio hæc periculosa non videtur, & tuta à Medici executioni demandari potest. Eger autem tenetur ob vitæ bonum illam subire, quia cæcus cogitur multas bonas operationes intermittere etiam earum, quæ ad Animæ salutem videtur necessaria. Sed quis est, qui ut videret, talem operationem derectaret? Verumenimvero veritatem hæc habeat in simplici coalitu, & ad hæsi ipsarum palpebrarum inter se; alias autem palpebræ cum ipso oculo, ejusque membranis coalescunt, & tunc operatio difficilior evadit, & exitus multo magis dubius est; nam etiam disjunctis palpebris interdum visus non recuperatur, unde neque tam prompte Medicus hujusmodi operationem in his casibus consulere, vel tentare debet, neque Eger eodem modo tenetur ad illam sustinendam; nam & præter majorem difficultatem, ac dolorem, & exitus dubietatem, ab omni periculo immunis non est. Cutis aperture in capite, Terebrationes, Visiones, 11 & hujusmodi alia operationes non in capite solum, sed etiam in aliis corporis partibus, ubi eas morbi exigentia requirat, & consulere & perficere Medicus potest; Eger autem ubi eas derectaret, & vitæ periculum esset evidens, ac præsentancum, non esset forte ab omni culpa immunis, non obstante remedii asperitate, quæ quidem excusare illum aliquo modo posset. Sed quia comparata hac asperitate remedii cum ipsa vitæ deperditione, pro nihilo talis asperitas est habenda, excusatio non esset condigna, & teneretur omnino eam subire, quod si dubium adhuc esset, an tali operationi salus securitatis sit, necne, & Medici, ac Chirurgi illi hoc dubium significassent, ponentes omnino ambiguitatem in recuperatione vitæ post tales operationes, in manu Egri forte esset, tale remedium renuere, ac remittere se in manus Dei.

Cataractarum extractio difficilis & ipsa operatio est, neque magno periculo ut plurimum obnoxia; sed alia ex parte plerumque inaniter fit, ut alias admonui, & tamen neque consulendo, neque eam exercendo videtur Medicus errare, dummodo sufficientem experientiam ejus operationis habeat. Sed Egroti liberum est eam vel admittere, vel renuere, quippe cum difficultas ipsius operationis juncta cum remedii asperitate contraponderat debitum in propriam charitatem; nam teneretur forte Eger ad eam sustinendam ob visum recuperandum, cujus privatio hominem multis bonis expoliare solet, etiam illis, quæ ad Animæ salutem pertinent, præterquam quod cæcitas ex rebus sit reddentibus vitam nostram maxime infelicem; & tamen non teneretur infirmus obedire non solum ob prædicta, sed etiam ob remedii incertitudinem, & dubietatem, quod, ut dixi, plerumque suo sine deludatur.

Lapidis extractionem Hippocrates in jurejurando non admittit, sed ejus rei provinciam peritis remittit. Extrahitur lapis ex vesica, & ab aliquibus proponitur etiam extractio ex renibus; sed hæc posterior nullatenus sine errore etiam notabili in medium à Medico afferri, aut celebrari potest, cum certi, ac præsentanei periculi plena sit; consequenter ergo non solum non tenetur infirmus eam admittere etiam morte præsentante, stante operationis horrore, ac difficultate, & salutis magna ex parte probabili dubietate, sed forte erraret si eam admitteret, & se secandum Chirurgo traderet. Neque ex vesica etiam quantumvis secuta esset operatio (licet

(licet non omnino tuta esse quotidiana experientia doceat) ulla obligatione detinetur æger eam subeundi, etiam si instantis mortis immineret periculum; immanitas enim remedii, & salutis incertitudo illum excusaret. videretur tamen non esse in culpa Medicus, qui in rerum desperatione eam suaderet, cum non adeo dubium remedium sit, quin ex ejus præsidio nonnulli optime curentur. Habemus enim hic ejus rei quotidianam carentur. Habemus etiam plures à D. Ioanne Trullio Chirurgo doctissimo, & expertissimo cum optimo successu secari, tanta diligentia, ac dexteritate operationem peragit. Vbi ergo tam expertos Chirurgos habeamus, non errabimus in renum desperatione lapidis extractionem per vesicæ sectionem infirmis suadere.

14 Castratio ad aliquem laudabilem finem, & ad vitæ tutelam certe non proponitur, unde non videtur tuta conscientia suaderi posse, cum operatio sit, quæ etiam si periculo ut plurimum careat, ad mortem effugiendam nequaquam videatur necessaria; licet enim in herniis, aliisque nonnullis morbis ad eorum curationem celebretur, non videtur herniæ tam magni momenti, ut mereant carnificino hoc remedio curari, maxime cum possimus remediis mitioribus illis opulari. pluris enim ex mea

sententia facienda evitatio, quæ ex castratione sequitur, quam quodvis incommodum quod ex hernia sequi posse timeamus, ac pene dixerim plures eam faciendam, quam ipsam mortem. Quamquam vero tuta undequaque videatur castratio in viris, in feminis certe nullo modo tuta est, ac nullo modo suadenda, vel tentanda sine gravissima culpæ & inhumanitatis nota; barbaris ergo omnino relinquenda; quamobrem de ea non est, quod quicquam addam, cum vix ulla de ea cognitio vigeat, ac ne per somnium quidem apud plerosque nota sit.

Denique alia nonnulla chirurgica operationes, 15 quæ fieri possunt in tantum Medicus suadere, aut tentare poterit, in quantum magna ex parte tuta sint, & ab omni notabili periculo absint; nam alias non sine conscientia gravamine suadentur, aut peraguntur. Infirmus autem in tantum sustinere tenebitur, in quantum non magno cruciatu fiant ex una, ex altera vero salutem probabiliter promittant, & ab imminente vitæ periculo hominem eximant: ubi enim adit magnus remedii cruciatus, ubi dubium sit, & hæsitetur, utrum magis profuturum, an nociturum sit, ubi imminens periculum magnum est, æger potest tuta conscientia illud renuere, & Medici præceptis non obedire.

Tituli Secundi Finis.



Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through or ghosting.



Tituli Secundi Finis

PAULI ZACCHIAE
Medici Romani

QVÆSTIONVM MEDICO-LEGALIVM,

LIBRI OCTAVI

TITVLVS TERTIVS.

De Clausura Monialium.

Continens Quæstiones quinque ;
quarum

- I. Quid sit Clausura, utrum noxia, & quibus ex causis Moniales possint à Clausura exire. 641
- II. Vtrum præter Pestem, & Lepram alii morbi sint iusta causa excundi à Clausura. 646
- III. Vigente Peste, aut Lepra in aliqua Clausura sanæ ne, an infirma ab ea exire permittendæ. 651
- IV. Moniales Lepra, vel Peste infectæ, & à Clausura dimissæ, si sanentur, quando nam reverti ad Clausuram teneantur. 653
- V. De Monialibus, quæ ex culpa aëris ipsius Clausuræ infirmantur, & in quibus casibus videatur adesse iusta causa relinquendi Clausuram. 655

LIBRI